Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-595929-p0001-8

aliq de signo xpi incarnaccens
incarnacio fuit vna valde mirabile
nullus enim potuit xpm facere nisi deus
illud Jo. iij. Nemo pt hec signa facere
facis nisi deus fuerit cum illo Unde
ing notare q in xpi incarnacione fue
quatuor notabilia signa qr. Dico
itas fuit immutata | primo q fuit im
tas fuit ipregnata | mutata xi sta
tas fuit temperata | bilitas q enim
fuit indigenta | mo fuit immuta
le qui est immutabilis et eternus est
signum qd fecit moyses coram pharaone
gram suam proiecit in terram et mu
st in colubrum sicut de xo. v. Quia ve

petuum sicut de hest iij et viij ut ve terrum
ni tanta esset regis assuetudo prius seni
tas q totum populum porta inferni Iudai
ant et q nullus ad eum intrare potest nisi
primo virgam suam suum bridem pro
signo reconciliacionis tenderet in hanc
mundum ad [illegible] esset ad bra
chium in signum [illegible] fuit p incar
nacionem tentata et sic [illegible] humano generi be
nigna est obtenta et tota sacrificia tpa
lium gen vi dicit meum ponam in nubibus
filium meum pomum in mare puris viscerib
et erit signum federis inter me et terram Et [illegible]
tpata de senectutis Quartum signum fuit
q ibi inclinata celi sublimitas fuit magn

33 siehe →

Ne

Sammelwerk

de

Alb. 1027.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-595929-p0002-4

Theses Juridicæ,

De

EXCEPTIONI-BUS,

Quas

Auſpicijs S. S. & Individuæ Trinitatis

In celeberrimâ ad Albim Academiâ

PRÆSIDE

TIBURTIO RUHELIO

J. U. D. Curiæ Electoralis Advocato,

& Senatus Oppidani ibidem Aſſeſſore,

Publicæ diſquiſitioni ſub-

jicit.

GOTTFRIDUS HEMPELUS

Freibergenſis Alumn. Elect.

In Auditorio Ictorum, Ad diem 15. Ianuarij. 27. Februarij

VVITEBERGÆ

Ex Officina Laurentij Seuberlichs.

ANNO M. DC. XIII.

31.

Reverendiß. ſuperioris Eccleſiaſtici Conſiſtorij Dreſdenſis

PRÆSIDI NOBILISSIMO

ET

COETERIS ASSESSORIBUS

Meritiſsimis, digniſsimis,

VIRIS

Magnificis, Reverendis, conſultißimis, amplißimis,

DOMINIS PROMOTORIBUS ET FAUtoribus ſuis æternùm obſervandis, honorandis,

Haſce theſes juridicas

debitæ gratitudinis

& obſervantiæ ergò

meritò

Conſecrat &

offert,

GOTTFRIDUS HEMPELUS

Reſpond.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-595929-p0004-5

De Exceptionibus.

POst acceptam libelli copiam, antequam de meritis ipsius caussæ, quæ in libello comprehensa sunt, disceptationem reus cum actore suscipiat, litemq; contestetur, & responsiones defensionesq; producat, statim in exordio litis observandum erit, an quæ exceptiones de lite, judicioq; non rectè institutis ei competant, quo posteà actor de temeritate litigij convictus expensis litis sine difficultate plecti possit. *l.pen.& ult C.h.t. l.ita demum 13. C.de procuratorib.*

I.

Exceptionis vocabulum in usu Iuris dupliciter accipitur, ἐν πλάτει pro quavis defensione, *a* & propriè sive κατ' ἀκρίβειαν, quatenus actionem ipso jure subsistentem excludit *b*. Et non inconcinnè definitur ab Ulpiano; Quod sit quædam exclusio, quæ actioni cujusq; rei opponi solet ad excludendum id, quod in intentionem condemnationemvé deductum est *c*.

(a) *l.si quidem 9.d.l.si quis 12. C h.t. l.1.C.de juris & facti ignorant.* Sive ea replicatio sit; sive duplicatio *l. 2 §.1.h.t. Zanger hoc tract.p 1.c.3 n.1.* (b) *in pr.& §.1. cum seqq. Instit. h.t. d.l.2.ff.eod.* In qua significatione dicitur etiam præscriptio *l.11 l.23.ff.h.t.l.2.C.de precip. imper.offer.l.12.ff & l. 6. C. de inoffic.testam. l.si fideicommissum. 50. §.tractatum est, & §. fin.ff.de Iudic.* Item conditio *l.22 de exception.Donell.22.comment.c.1 in fin Zang.d p 1.c.3.* Propterea quod olim ejus formulæ non minus atq; actionum erant certæ, & quidem conditionales, in quibus si reus vel minimâ syllabâ errasset,

 caderet

caderet caussâ *l. 2. l. 4. §. 8. ff. de dol. mal. & met. except. §. ult. Instit. de replicat. Cujac. lib. 5. Obs. 37. Vultej. ad tr. Inst. de exception. n. 13.* Falsum itaq; est, quod præscriptio tantum referatur ad exceptiones dilatorias, siquidem contrarium manifestè probatur *l. 29. in pr. ff. de Except. rei jud. & l. 91. ff. de solutionib.* Sicuti nec magis veritati convenit, quod præscriptiones sint exceptiones in factum innominatæ; Exceptiones verò exceptiones nominatæ, cùm contrarium pateat *ex d. l. 29. & d. l. 91.* Hodie quibuscunq; verbis inscriptis, vel absq; scripto viva voce exceptiones proponuntur, quanquam Iudex exceptiones ita propositas in scripturam redigi debere jubere potest. *Zanger. d. c. 3. n. 20.* Quare cùm olim quævis exceptio diceretur præscriptio, hodie sola temporis exceptio hac significatione denotatur, ut nunc ei quasi proprie facta sit, *Vultei. d. l. n. 14.* Amplius & actionis verbum exceptionem denotare probat *l. 1. ff. h. t. Gœdd. ad l. 8. de V. S.* Nonnunquam etiam præjudicium pro exceptione accipitur *l. 5. §. Divus ff. de heredit. petit.* quod confirmat *Rubr. ff. de except. præscript. & præjud.* cujus exempla reperiuntur *in l. 13. 16. 18. & 21. ff. d. tit.* & meminit IC. Paulus *l. 54. ff. de judic.* (c) *l. 2. in pr. h. t.* Quæ definitio non tantum peremtorijs, sed & dilatorijs exceptionibus rectissimè accommodatur; & alijs quidem verbis, sed eâdem propè sententiâ repetitur à Paulo *in l. 22. ff. h. t.* quod sit conditio, quæ modo eximit reum damnatione, modo minuit damnationem.

II.

Respectu caussæ efficientis seu originis omnis exceptio est vel civilis vel prætoria *a*. Civiles sunt, quæ proficiscuntur ex legibus, vel his, quæ vicem Legum obtinent *b*. Prætoriæ, quæ ex jurisdictione, hoc est, edicto Prætoris substantiam capiunt *c*.

(a) *§. 7. Inst. de Except. ubi Schneidvv. n. 4. Vultej. n. 16. Zanger. p. 1. c. 3. n. 35.* (b) *l. naturalis. 5. ff. de præscriptis verb. §. 1. Inst.*

Inst. de Obligat. quales sunt fori declinatoria *l. pen. & ult. C. de except.* SCti Vellejani *t. t. ff. & C. ad SCtum Vellej.* SCti Macedoniani, *tot. tit. ff. & C. ad SCtum. Macedon.* Exceptio divisionis inter plures confidejussores, §. *si plures Inst. de Fideijussor. Auth. præsente Cod. cod. l. fin. C. de Constit. pecun.* Et similes. (c) Ut est exceptio quod metus caussa, doli mali, & si quæ similes *l. 1. §. 1. l. 4. §. pen. & tot. tit. ff. de dol. mal. & met. except. §. hac exempli Instit. de Except. Francus tract. de fidejussor. cap. 3. n. 88. VValther. lib. 1. Miscell. c. 12.* Et quamvis negari non possit, usum excipiendi etiam gentibus fuisse cognitum, cùm & illæ sua habuerint & adhuc habeant judicia; inde tamen non rectè post *Panormitan. ad Rubr. ext. de Exception. & Alciat. 1. Paradoxor. 21.* infert Treutler *p. 2. Disp. 26. Thes. 1. lit. A.* Exceptiones, quibus nos utimur Iurisgentium esse, dùm ultrò concedit, exceptiones formam suam habere à jure civili. *l. 7. ff. de Instit. & jur.* Difficilius est, quod de Exceptione pacti conventi adducit *Bocer. ad L. 23. cap. 1. n. 5. de R. I.* eam ex juregentium esse statuens. Sed Cujacij opinionem eam ex jure prætorio esse asserentis præferendam esse arbitramur.

III.

A fine seu effectu judiciorum Exceptiones quædam dicuntur peremtoriæ, quædam dilatoriæ *a.* Dilatoriæ vocantur, quæ ad tempus nocent, seu temporis dilationem tribuunt *b.* Peremtoriæ, sive perpetuæ sunt, quæ semper locum habent, nec evitari possunt, semperq; agentibus obstant, & rem, de qua agitur, perimunt, tollunt, extinguunt, actorisq; intentionem enecant, *c.* Tertiam speciem mixtarum exceptionum non agnoscimus *d*,

(a) §. *appellantur 9. ubi Dd. Inst. de Exception. l. 3. ff. eod.*
(b) §. *temporales 10. Instit. de Except. l. 2. §. fin. l. 3. in fin. ff. eod.*
(c) §. *perpetua Inst. de Exceptionib. l. 3. ff. eod. l. 2. C. de precib. Imper. offerend. l. peremtorias C. sentent. rescind. non posse.* Kö-

niz *in proceſſ. c. 44.* Saxonibus dicuntur zerſtörliche Wehr. *lib. 3. art. 22. ubi gloſſ. & addit. latin.* Landrecht. Obſtant autem non ad 30. annos duntaxat, ſed in infinitum, quandocunque agitur. *l. 4. §. ult. ff. de dol. mal. & met. except. Zanger. par. 1. de except. c. 3. n. 41. & ſeqq.* (d) *Matth. Coler. ad c. venerabilis n. 40. de Exception.*

IV.

Poſtremò pleræq; Exceptiones in rem competunt *a*, nonnullæ ſunt perſonales *b*. Perſonales ſunt, quæ perſonæ cujusque coherent, nec tranſeunt ad alios *c*. Reales ſunt, quæ rei coherent, & generaliter omnibus conventis proſunt *d*.

(a) *l. 7. §. 1. de Except. l. 11. C. eod. l. 32. ff. de fidejuſſ.* (b) *d. l. 7. in pr.* (c) veluti ea, quam ſocius adverſus ſocium habet, ut in id tantum condemnetur, quod facere poteſt, vel parens, patronuſvé adverſus liberos, vel libertum, non competit fidejuſſori *d. l. 7. in pr. l. 24. & 25. ff. de re judicat. Francus in Tract. de fidejuſſorib. c. 3. n. 98. cum ſeqq.* (d) Ut exceptio rei judicatæ, doli mali, juris jurandi, quod metus cauſſa factum &c. *d. l. 7. §. 1.*

V.

Exceptiones dilatoriæ, ſive temporales ex multis, varijsque cauſſis deſcendunt, ut primo ex perſona Iudicis, 2. Ex perſona rei. 3. Ex perſona utriuſque tam actoris, quam rei. 4. Ex perſonis procuratorum. 5. Ex citationibus. 6. Ex ipſius cauſſæ informatione. 7. Ex defectu ſatisdationis.

VI.

1. Exceptiones dilatoriæ ex perſona Iudicis deſumtæ, aut judicium prorſus declinant, aut ſaltem differunt. Declinatur judicium 1. Exceptione incompetentiæ *a* ſuſpicionis *b*, & præventionis *c*.

a) Quæ & præſcriptio, ſive privilegium fori, item exceptio

ceptio fori declinati~~oni~~ appellatur. *l. pen. & ult. C. de except. Vultej. lib. 2. Iurisprud. c. 24.* Et ex varijs caussarum figuris sumitur, sicut ex ijs, quæ disp. de foro competent, jam ante posita sunt, satis patet. Est autem hæc exceptio omnium primò contestanda, ne aliâs quasi per tacitam prorogationem videamur in judicem incompetentem consensisse, adeoque de inceps frustra ad illam deveniamus. *arg. l. 52. de judic. Zang. p. 2. de exception. c. 1. n. 4.* Et super hac exceptione ipse Iudex incompetens cognoscere potest. *l. 2. ff. si quis in jus vocat non ier. l. 5. ff. de judic.* non tantum ordinarius, verumetiam delegatus, quomodo contra *gloß in c. accusatus. §. sanè de hæret. in 6.* rectè concludit *Gædd. ad c. 1. n. 10. cum seq. de prohib. sequest. pecun.* Cui exceptioni non absimilis est exceptio ordinis incompetentiæ, quâ declinamus cognitionem superioris Iudicis caussâ apud inferiorem nondum discussâ. Neq; enim statim supremum adire judicem licet, demum per appellationem ad ipsum pervenitur. *Vultej. ad l. 4. n. 19. C. de jurisdict. & ibi Dd. commun.* (b) Quæ eò dirigitur ut ostendat quod suspectus sit judex *c. suspicionis 30. de offic. delegat. c. licet. 10. in fin. c. si quis contra. ext. de foro compet. Gail. lib. 1. Observ. 34. in fin.* Quemadmodum de hoc egimus latius Disput. de judic. Thes. 20. Posse etiam totum collegium, vel Universitatem recusari, communiter receptum est *c. licet ext. de for. compet. c. pastoralis. §. notorium extr. de sentent. & re judicat. Zang. p. 2. c. 4. n. 15. Wesemb. cons. 6. n. 195.* Si tamen unus ex pluribus suspectus sit judicibus, non idcirco totum collegium recusari potest, sed tantum is, cui suspicio objicitur *Geil. lib. 1. obs. 33. n. 2.* Est & hæc exceptio statim ante alias opponenda, ne aliâs judicem suspectum approbasse videamur. *Geil. d. obs. 33. n. 11. Mynsing. cent. 4. obs. 59. Sichard. ad l. 16. n. 3 cum seq. C. de judic. Zanger. 2. de exception. c. 4. n. 3 cum seqq. Vultei. ad l. 4. n. 21. C. de jurisd.* Sed de caussâ recusationis judex recusatus cognoscere ne-

quit

quit. *Geil. d. lib.1. obser.34.n.6.& seqq. Zanger.d. c.4. nu 21. Gædd. d.tract. de sequestrat. c.1.n.13.* Arbitri itaque eligendi sunt, qui de caussâ suspicionis cognoscant, à quibus si judex suspectus pronuncietur, omni jurisdictione, quoad illam causam carebit, ita ut processus ulterior reddatur ipso jure nullus. *Hart. Hartman. lib.1. pract. observ. tit. 1. Obs.10. VVesembec.d.Consil.6.n.193. Zang.d.p.2.c.4.n.23.* Cognitio verò de meritis caussæ principalis ad arbitros illos adjunctos judici ordinario pertinebit secundum jus civile; aut ad judicem proximè à Iudice recusato superiorem Iure Canonico *Gail. d.Obs.33.n.15. Vultej. 2. Iurispr.30.n.92.* Quæ sententia posterior in provincijs nostris, ubi non agnoscitur potestas Episcoporum, recepta est, *Coler.ad c.olim 7.n.39. de Except.* (c) Quâ utitur reus, si lis de eâ re, quæ in judicium deducitur coram alio judice pendeat *arg.l.pen.ff.de petition.hered.l.7.l. 30.ff.de Iudic. c.proposuisti 19.ext. de foro compet. Clement.2. ut lite pendent. l.4. C. de Iurisdict. ubi Vultej. n.30. cum seqq. Coler.de process.execut. p.4.c.1.n.38.* De quâ plura habuimus in Thes.21. Disp. de foro compet.

Illud huc spectare videtur, An exceptio præventionis Imperatoriæ Majestatis cognitioni opponi possit? Et posse opponi decidit *Reusner. 3. decis.21.* Excipiuntur tamen feuda majora, veluti Ducatus, Comitatus, &c. de quibus solus Imper. cognoscet. *Ordinat. Camer. p.2.t.6. Gail. 1.obs.29 7.* Exceptiones, quæ judici propter alium defectum objiciuntur, hûc non pertinent, de quibus Disp. de Iudic. Thes. 17. cum 2. seqq.

VII.

Ad exceptiones quæ judicium in totum non declinant, sed tantum differunt & personam judicis respiciunt, 1. pertinet exceptio loci non tuti *a.* 2. termini angusti *b*, & feriarum *c.*

(*a*) Nam etiamsi reus à judice competente citetur, tamen

de

de loco excipere potest, puta, quod locus judicij non sit satis tutus propter incursum & grassationem hostium, vel prædonum, vel propter hostiles inimicitias, insidiasq; singulares eorum hominum, qui eo loci, aut propinquo habitant, quorum tela in itinere evitari non posse, reus metuit. Item propter grassationem pestis, vel alterius cujuscunq; contagiosi morbi *c. ad supplicium ext. de renunciat. c. accedens, ut lite non contest. l. sed sciendum ad Sctum Trebell. c. ex parte 47. de Appellat. Clemen. pastoralis. §. notorium de re judic. arg. c. 11 de Cleric. resid. lib. 6. c. cùm personæ de privileg. in 6. Gail. lib. 1. Obs. 52. n. 8.* Nec solum ipsi domino, actori, vel reo; sed etiam eorum procuratoribus & advocatis locus judicij tutus esse debet *d. c. 47. Pacian. 2. de probat. cap. 46. n. 3. Ruland. 1. de commissar. 5. cap. 3. n. 14. & 17.* Sed an citatus ad locum non tutum statim possit appellare, & per hoc declinare jurisdictionem Iudicis, An verò prius exceptionem loci non tuti per procuratorem, vel eum, qui de rato cavet, proponere & tum demum si judex eam non admittat appellationis beneficio uti debeat, non una & eadem est Dd. decisio. Posteriorem sententiam cum duplici exceptione admittimus argumento *d. c. ex parte 47. de appellat. Clement. pastoralis. 2. §. Pisana & ibi gloss. in verb. notoria de sentent. & re judic.* & facit *c. venerabilib. 7. §. Porrò vers. hoc ipsum cum seqq. de sentent. excommun. in 6. Joh. Andreæ ad d. c. ex parte 47. Pacian. lib. 2. de probationib. c. 46. n. 4. & seqq.* Porrò si citatus judice non admittente exceptionem loci non tuti, sed eum condemnante in expensis, vel in caussæ amissione non provocet, Quæritur utrum valeat sententia in absentem lata? Et valere istam sententiam probatur *c. constitutis 46. de testib. & d. c. ex parte 47.* Sed ne hac occasione judicia protrahantur, solet reis ad eorum petitiones pro aversione carceris, aut alterius offensionis, à Iudicibus, dummodo tamen prestent cautionē judicio sisti *l. 1. ubi Br. l. 3. ff. de custod. & exh. reor. Landr.*

lib. 1. art. 61. & 65. in pr. ibi. fürzukommen. *& lib. 3. art. 9. art. 13. & art. 17.* dari securitas seu salvus conductus, *Coler p. 4. de proces. execut. c. 1. n. 203. Guilhel. de Cuneo in tract. securitat. Gomez. tom. 3. resol. c. 6. n. 12.* & quidē in omnibus caussis tam civilibus, quam criminalibus, ita tamen ut in criminalibus aliter non detur, nisi per procuratorem, caussa agi nequeat. Illud non incommodè hîc movetur, cui magistratui conveniat salvum conductum concedere? Et solum Imperatorem hoc præstare posse, nonnulli volunt *per text. in l. 4. in fin. l. 31. §. ex provincia 1. ff. de pœn.* Verùm illis experientia cotidiana contradicit, quæ non solum hoc principibus alijs *Andr. Knichen in tract. de jur. superiorit. c. 3. n. 422.* Sed etiam judicibus inferioribus largitur *Julius Clarus in pract. crim. §. fin. quæst. 32. numer. 14. Damhuder. in pract. crim. cap. 26. num. 2. & seqq.* Consultius tamen egerit reus, si salvum conductum simul à superiore quoq; impetraverit, quo non tam in loco judicij, sed etiam in omnibus alijs, per quæ patet ipsi transitus, plenâ securitate gaudeat. *Coler. d. p. 4. cap. 1. n. 216.* Qui semel concessus sanctè & illibatè servandus est. *Bruckman. in §. soluta potestas c. 4. memb. 2. effect. 5. n. 28. & seqq. Speckhan. cent. 1. quæst. 1. & 2. Fachin. 9. controv. 69. Coler. d. lo. num. 221.* Hoc sciendum in salvo conductu inesse non tantum veniendi, sed & recedendi concessionē, donec ad locum suæ habitationis revertatur *Menoch. 2. arbitr. jud. cent. 4. q. 336. n. 11. & 12.* (b) Quâ utimur, quoties judex actui expediendo terminū nimis angustum & brevem præfixit, quo reus secum deliberare non potuit, utrum cedere, an contendere debeat *l. 1. ff. de edendo c. 1. de dilat. Novel. 53. c. 3. Novel. 12. c. 3.* & quæ diximus *ad Disput. de Citat. & libel. oblat. Thes. 14. lit. F.* (c) Nam citatus ad diem feriatum non tenetur comparere, nec propterea in pœnam contumaciæ condemnari potest, sed illi alius terminus assignandus est, Imò sententia adversus taliter citatū lata ipso jure nulla est *c. fin. de feriis l. fin. C. eod. l. si feriatis 6. ff. eod. Cyn. in l. ult. n. 4. C. de tit. propter text. in l. 2. ff. si quis in*

Salvo con, ductus.

2.

3.

jus

jus vocat non ier. Sed possunt ne partes ferijs renunciare? Dicendum ferijs solennibus divino cultui destinatis partes renunciare non posse. *l.2. l.7. & l.ult. C.de ferijs d.c. ult. ext. eod.* Secus est in ferijs ob necessitatem hominũ introductis *l.1.in pr.l.6.ff.de ferijs d.c. ult.in fin.eod.l.un. C.de Nundi.Donell.24.comment.c.7.pag.62.* IIX.

Ex persona rei duplex oritur Exceptio, una ex Edicto prætoris, de in jus vocando *a*. Altera est exceptio revocandi domum *b*.

(a) Quâ astruit reus se contra edictum sine venia in jus vocari non posse, de qua latius in Disp.de citat. & lib.oblat.thes. 10. à quo jure neq; dum recessum esse contendunt *Fachin. 10.controv.87. Niell.Disp.feud.10.Thes.4.lit.B.* Quamvis Vultej. discept. cap.1.pag.24. contra sentiat, & illam sententiam judicio contradictorio approbatam esse testetur *Zangerus. 2. de except. c.9. n.7. VVesembecius in parat. de in jus vocand.n.12.* (b) Quæ competit legatis conventis. Hi namq; in eo, quod ante legationem contraxerunt, jus revocandi domum suam habent *l.2.§.3.l.8.l.39.in fin. ff.de judic. Nov.123.c. 26.Alberic.Gentil.2.de legat.16.* Quod si de facto conveniantur, hac exceptione oppositâ forum illud declinare possunt *Oldend.in Except.revocat.* IX.

Ex personâ utriusq; tam Actoris, quam rei competit exceptio inhabilitatis *a*, contumaciæ *b*, impedimenti justi *c*, Ex personis procuratorum descendit procuratoria *d*.

(a) Inhabiles dicuntur, qui legitimam personam standi in judicio non habent *l.1.& passim tot.tit.ff. & C.de postul.l. 1.& tot.tit. C.Qui legit.person.stand.in jud. non hab.de quibus prolixius egimus in disp.de judic.* (b) Nam si alteruter in termino protervè nõ compareat, præsens de absentis contumacia excipere potest. Et hanc exceptionẽ tam actori, quam reo competere constat ex eo, quod uterq; contumaciã contrahere potest *l.properandũ 13.§.1.& seq.C.de jud.l 73.ff.eod & diximus sup.disp.de citat.& libell.obl.thes.17.& seq.* (c) Quâ astruit

vel actor vel reus, se impedimentum, & justas absentiæ caussas habere *Zanger. p. 2. de Exception. c. 9. n. 10. de Exceptio.* Dicitur justum impedimentum, si quis impediatur morbo, tempestate, vi fluminis, vel alia justâ de caussâ *Coler. 1. de proces. execut. c. 2. n. 21.* à judice æstimanda *Menoch. casu 153.* Et utriq; tam actori, quam reo hanc exceptionem communem esse manifestum est, Quod reo competat, probat *Zang. d. p 2. c 9. n. 10. cum seqq.* Quod actori, docet *l. 1. & tot. tit. C. de dilat.* (d) puta si procurator absq; mandato, aut cum insufficienti compareat *l. 24. C. de procuratorib.* vel si persona talis sit, quæ constitui non possit *l. 12. C. de procurat.* Sic Exceptio procuratoria objicitur ei, qui mandatum habet ab eo, qui jus constituendi nō habet *l. 7. l. 12. & 18. C. de procur. c. fin. ext. eod. l. 43. §. 1. D. eod. Zang. d. lo. n. 26.*

X.

Citationum ratione exceptiones Dilatoriæ objici quoq; varia ratione possunt, quia citatio fortè omissa sit, aut ad manus rei conventi non pervenerit, vel ritè & in debitâ formâ confecta non sit, & non appareat ex rescriptione executoris seu viatoris, cui, quo die, quo anno, quo loco exhibita sit citatio, quâ de re jam ante in Disputat. de citat.

X I.

Inter Exceptiones, quæ ex ipsius caussæ informatione desumuntur, primùm se offert Exceptio præjudicialis *a*, 2. Exceptio plus petitionis *b*, 3. Exceptio caussæ connexæ non dividendæ *c*. 4. Pacti conventi temporalis *d*, 5. Exceptio libelli obscuri & inepti *e*. 6. Exceptio excussionis & ordinis *f*, 7. cui uicina est exceptio cedendarum actionum *g*, 8. exceptio competentiæ *h*, 9. Exceptio spolij *i*, 10. exceptio sub & obreptionis *k*, 11. Et deniq; exceptio appellationis non devolutæ *l.*

(a) Ad similitudinem actionum præjudicialium ita dicta *l. fundi 18. juncta Rub. ff. de Except. præscrip. & præjud.* Quâ reus ita removet actorem; ut dicat per actionē ab adversario institutā, principaliori præjudiciū fieri non oportere *l. 10. d. l. 18. ff. h. t.*

ff. h. t. l. 1 §. 1. ff. fam. erciscund. l. fin. C. de petit. heredit. Zanger. d. p. 2. c. 10. n. 2. Et tum demum locum habet, quando inter easdem personas actio, quæ minorem caussam continet, instituitur, *arg. l. fin. §. 1. ubi Bal. & Castr. C. de petit. heredit.* Unde bene colligitur exceptiones præjudiciales, ut & actiones re ipsa esse personales, quod de actionibus eruditè probat Vultei. *lib. 1. discept. cap. 5. & ad §. præjudiciales Instit. de except.* (b) *§. Temporales 10. Instit. de except. juncto §. si quis agens Instit. de actionib. c. 1. ext. de plus petit.* Pœna plus petentium alia erat olim, alia hodie. Olim qui plus petebat, quam debebatur, causâ cadebat. Hodie si tempore plus petitur primò reus inducias, quas ipse actor sponte indulsit, vel natura actionis continet, in duplum habet, Nam quod Anton. Matth. *ad §. si quis agens 30. Inst. de actionib. & ad §. temporales vers. si contemserit Inst. de except.* vult, tantum temporis reo concedendum esse, quantum ipsi residuum erat, priusquam solutionis dies veniret, puta, si post 20. dies solvendum sit, alios 20. dies adjiciendos esse, ut dies solutionis demum post 40. dies veniat, juris veritati repugnat, Deinde post inducias illas creditor non aliter auditur, quam expensis indebitæ fatigationis debitori refusis, aut ab eo remissis. Tertiò illud alterum tantum temporis, quod indulgetur debitori, immune est ab usuris dependendis. *§. temporales 11. Instit. de except. l. 1. & 2. C. de plus petit. c. un. in pr. eod.* Quod si quis vel loco, vel causa, vel re plus petierit in omne, si quod forte damnum, ut in sportulis, ex hac caussa acciderit ei, contra quem plus petitum fuerit, commissa tripli condemnatione puniatur, *d. §. si quis 33. vers. sed hæc quidem §. tripli 24. Inst. de action. l. 2. §. si quis. C. de plus petit.* c) Neq; enim illæ dividendæ, sed apud eundē judicem expediendæ sunt. *l. 1. ff. de quibus reb. ad eund. judic. ubi Gothofredus l. 3. l. nulli. 10. C. de judic. l. ordinarij. C. de rei vindicat. c. 1. & ibi Cœdd. n. 26. ext. de sequestratio. c. pen. ext. de*

in integr. restit. c. 2. de rescript. in 6. Mindan. 3. de proceß. extrah. c. 2. membr. 1. Geil. lib. 1. obs. 32. Causæ continentia quibus modis accidat: *Vide Geil. d. lib. 1. obs. 32. Vultei ad l. 4 n. 25. cum seqq. C. de jurisd. Mindan. de proceß. extrah. cap. 3. memb. 2. & seq. & cap. 4. memb. 1. & memb. 9.* (d) *§. 10. Instit. de except. l. 3. ff. eod. l. 40. §. 3. ff. de procurat.* puta, si ita convenerint contrahentes, ne intra certum tempus, veluti intra quinquennium, ageretur. Quam solutionis evitandæ & differendæ vocat Menoch. *cons. 40. n. 6.* Et sane huic exceptioni renunciatum videtur, si, eâ omissâ, litem quis contestetur. *arg. d. l. 40. §. 3. de procurat.* Illud durum est, quod post Coler. *1. de proceß. execut. c. 4. n. 16.* notat Dn. Zanger. *d. p. 2. c. 11. n. 2.* minorem creditorum partem illi pacto consentire cogi, quo debitori à majori parte creditorum beneficium differendæ solutionis concessum est. Huic exceptioni non absimilis est ea, quæ exceptio moratoria dicitur, nisi quod illa ex partium conventione oriatur, hæc ex principis indulgentiâ proveniat *l. 2. C. de precib. Imper. offer. & ibi Dd.* & ob id Anstandtbrieffe oder quinquennell nuncupantur. Eiusmodi autē quinquennales sive moratoria dilatio ijs tantū debitoribus, qui absque sua culpa, fortunæ vitio, bonis suis lapsi sunt, cōcedenda est, In der policey Ordnung Anno 48. promulgata sub tit. 23. Const. Elect. 22. p. 2. ibi, Wir behalten vns aber für &c. *arg. c. 1. Nov. 135. ibi, quod nullam rerum caussa occasionem &c. Hering de fidejussor. c. 5. n. 101.* (e) Puta quia id, quod petitur non satis est designatum, vel quia narratio est obscura, inepta & confusa; petitio malè & incongruè seu non concludenter illata, generalis, ambigua, incerta; item, si nomen Actoris, rei, vel judicis omittatur. *l. 69 ff. de judic. l. 65 ff. de procurator. l. fin. C. de edend. De quibus plura in disp. de citatio. & libell. oblat.* Ad quā referri potest exceptio ineptæ cumulationis, de qua Zanger. *d. p. 2. c. 19. n. 3. ubi in seqq.* quibus modis ineptè cumulari dicantur plures actiones, demonstrat, & nos notavi-

mus

mus *in diſp. de citat. & libell. oblat.* (f) de jure veteri in creditoris libero arbitrio positum erat, vel convenire ipsum principalem vel fidejussorem *l. 2. l jure nostro 5. l. liberum. 16. l. sicut eligendi 21. l. reos 23. C. de fidejussor. l. 14. C. de pignor.* Hodie cōveniendus est ante omnia principalis, quod si non fiat, fidejussori parata est hæc exceptio. *Nov. 4. & inde sumta Auth. præsente C. de fidejussor. Auth. hoc si debitor. C. de pignorib. & hypoth.* Sunt tamen casus quamplurimi ubi exceptione hâc non attentâ fidejussor rectè convenitur, de quibus Francus *in tract. de fidejussorib. c. 5. n. 315. cum multis seqq. Menoch. de arbitr. judic. casu 40. Coler. de process. execut p. 1. c. 10. n. 378. Geil. lib. 2. obs. 28. Hering. de fidejuss. c. 27. p. 1. à n. 82. usq; ad fin. Gœdd. de contrah. stipulat. c. 11. n. 97.* Illud huc spectat, quando hæc exceptio sit opponenda? Et tàm post, quam ante litis contestationem opponi posse tradit Valentinus *Francus d. tract. de fidejussor. c. 5. n. 286. Gœdd. de contrah. stipulat. c. 9. n. 103.* secundum quam sententiam etiam hîc in scabinatu pronunciari scribit *Dn. Zanger. d. p. 2. de except. c. 16. n. 7.* (g) Quæ competit fidejussoribus, qui solidum solvere parati sunt, ut eis creditor prius actiones tam contra principalem, quam contra confidejussores cedat, quibus non cessis, ut solidum solvat, cogi nequit. *l. 2 l. cum adulter. 11. C. de fidejuss. l. fidejussorib. 17 l. cum is. 36. l. ut fidejussor. 39. ff. eod Gomez. tom. 2. resolut. c. 13. n. 15. Gœdd. d. c. 9 n. 114. Dn. Zanger. d. p. 2. c. 16. n. 28.* Et petenda est vel ante solutionem, vel in ipsa solutione: post solutionem namque ex intervallo temporis frustra postulabitur *Menoch. lib. 3. præsumpt. 45. n. 26. Coler. de process. execut. p. 1. c. 10. n. 368. Schneidew. ad §. si plures. n. 20. Inst. de fideiuss. Weserb. in parat. ff. de fideiussor. n. 6. Donell. ad l. 11. C. eod. Gœdd. d. c. 9. n. 177. Anton. Faber. 11. conjectur. 9. arg. l. solutione. 23. l. si pro me 40. l solvere. 53. l. in omnibus. ff. de solution. §. 1. Instit. quibus mod. toll. obligat.* (h) Quâ certæ personæ se tuentur, ne conveniantur nisi in

id,

id. quod facere possunt. §. *pen. & ult. Inst. de action. l. 6. cum seqq. ff. de re jud. l. 3. ubi Dd. ff. de except. Zanger. d. p. 2. c. 15. n. 2.* Quando autem quæritur, quantæ sint facultates conventi, tempus rei judicatæ attendi debet, quemadmodum in marito respondit Paulus ICtus *in l. rei judicatæ. 15. in pr. ff. solut. matrim.* (i) qua reus dicit, se non esse obligatum ad respondendum institutæ actioni, nisi ipsi res ablata prius restituatur. *c. cum dilectus, ext. de ordin. cognit.* Nec refert qualis actio sit instituta, civilis an criminalis Zanger. *d. p 2. c. 18. n. 4.* sicuti nec illud refert, quâ de re sit instituta, an super possessione, an super proprietate: Quemadmodum nec ad rem facit, an spolium factum sit super ea re, de quâ reus convenitur, an super aliâ. *Zanger. d. n. 4.* Et competit reo spoliato, eiusque heredi & successoribus. *arg. l. 1. §. interdum 23. ff. de vi & vi armat.* & quidem contra eum, qui spolium admisit, aut admittenti ad minimum consensit: Neque enim contra spoliatoris heredem datur, nisi quatenus ad ipsum pervenit *Kling. ad d. c. cum dilectus n. 5. Zanger. d. c. 18. nu. 7.* Terminus intra quem hæc exceptio in judicium deducta probanda sit, continet quindecim dies *c. 1. de restit. spoliat. in 6. c. fin. de ordin. cognit. l. 1. §. 23. ff. de vi & vi arm. Constit. Elector. 6. p. 1.* (k) Quæ solet opponi mandatis ad instantiam & falsam affirmationem supplicantis emissis, sive in juris narratione mendacium reperiatur, sive in facti, sive in tacendi fraude *l. 2. C. si contra jus vel util. public.* (l) Quâ utitur appellatus, quando appellatio aut deseritur, aut certâ de causâ ad judicem ad quem non devolvitur *de quâ Zanger. d. p. 2. c. 20. Gail. lib. 1. obs. 137. & nos suo tempore agemus latius.*

XII.

Ex defectu etiam Satisdationis exceptiones dilatoriæ & præparatoriæ in plerisque judicijs moveri solent. *tot. tit. ff. Qui satisd. cog. Zanger. d. p. 2. c. 21.* Quæ cum ex ipsa præstandarum

ſtandarum ſatisdationum vel cautionum ratione plenius & rectius intelligantur, ideò eam eò uſq; reſervabimus.

XIII.

Exceptiones peremtoriæ ad ipſa cauſſæ merita ſpectant, & vel ſtatim à principio cum ipſo negotio naſcuntur: vel poſteà demum exiſtunt *a*, Quæ ab initio cum ipſo negotio prodeunt, aliæ rurſus ex eo, quod factum eſt, aliæ ex perſonis debitoris, vel creditoris deſcendunt Illius generis ſunt exceptio doli mali *b*, metus *c*, erroris *d*, non numeratæ pecuniæ *e*, non numeratæ dotis *f*, Hujus verò Scti Macedoniani *g*, Scti Vellejani *h*.

(a) *Donell. in proœm. C. de Except. num. 14. Zanger. dicto Tract. p. 3. c. 1. num. 1.* (b) Quæ conſtituta eſt adverſus omnem, qui quid dolo, malitia, fraude, calliditate, fallatiâ, machinatione que petit quovis modo, prodita ei, à quo quid ita petitur, de eâ ipsâ re, quæ ita petitur *l. 1. l. 2. §. item quæritur. §. & generaliter l. dolo. l. 12. ff. de doli mali except.* Committitur autem dolus vel ex propoſito *tot. tit. de dolo mal. & tot. tit. de doli mal. & met. except.* vel ex reipsâ *l 36. ff. de V. O.* Ille rurſus aut dat cauſſam contractui, aut incidit in contractum; Si itaque bonæfidei contractui cauſſam dedit dolus, frequentus traditum eſt, negotium ipſo jure nullum intelligi *Gloſſ. in l. eleganter 7 ubi Dd. de dolo mal. Gail lib 2. Obſ. 2 n. 6. Gœdd. de contrah. ſtipul. c. 3. n. 114.* Si verò incidens dolus ſit, indiſtinctè negotium ſubſiſtit, & vel oppoſitâ doli exceptione eliditur *l. 5. C. de pact. l 6. de dol. except. l. 39. ſolut. matrim.* vel actione ex contractu bonæ fidei emendatur *l. 13. §. 4. ff. de action. emt.* Quod etſi poſt *Robert. lib. 3. animadverſ. c. 1. cum ſeqq. Coraſ. lib. 2. Miſcell. cap. 8. Covarruv. in cap. Poſſeſſor. p. 2. § 6. in*

fin. de R. J. in 6. velint in utroque casu obtinere etiam in stricti Iuris contractibus, ut est stipulatio &c. Præsertim, quando dolus dedit rei gestæ caussam, ut hoc in casu etiam ipso jure sit nullus contractus; communius tamen receptum est & verius, quod sive dolus dedit caussam contractui, sive incidat, contractus stricti Iuris valeat, & quod dolus vel actione vel exceptione purgandus sit *l. 7. §. non solum ff. de dolo l. 4. C. de obligat. & act. l. 36. de V. O l. 5. C. de inutilib. stipul. Sichardus ad d. l. 4. C. de obligat. & act. Pinellus de rescind. vendit. p. 2. cap. 2. num. 12. Gædd. d. lo.* (c) Quæ datur adversus petentem id, quod metu promissum est *pr. Inst. de Except. tot. tit. ff. de dol. mal & met. except. l. 7. quod met. caus. Zangerus p. 3. cap. 13. num. 96. cum seqq. Donellus 15. Comment. 38.* Nam si quis justo metu, qui in hominem constantem cadit *l. metum 6. ff. quod met. caus. cap. ult. de appellat. l. vani timoris de Reg. Jur.* coactus stipulanti aliquid promisit, quod non debuerat promittere, palam est, eum jure civili esse obligatum, ideoque respectu stipulationis interpositæ justa est petitio à parte actoris: est tamen hæc petitio eatenus injusta, quatenus metu quid est extortum *l. 5. ff. quod met. causs.* Hinc *Menoch. libr. 2. de arbitr. jud. cent. 2. cap. 135. num. 1.* Post alios scribit verba Edicti prætoris, Quod metus caussa gestum erit, ratum non habebo, Spiritum Sanctum in os prætoris misisse. Quî enim fieri potest, ut is obligetur, qui metu adactus consensit? Ita enim fiet, ut impius lucrum cum alterius detrimento sentiat. Datur itaque hæc exceptio non modo contra eos, qui metum intulerunt *l. metum 9. §. animadvertendum 1. ff. Quod met. caus.* Sed adversus omnes omnino qui lucrum inde perceperunt *d. l. 9. §. fin. cum l. seq. l. 4. §. metus caussa 33. ff. de doli mal. & met. except. facit l. 14. §. 3. ff.*

metus ex, ceptio

quod

quod met. cauſſ. Contra parentem tamen exceptio hæc non datur filio in poteſtate adhuc exiſtenti in bonis peculiaribus *d. l. 4. §. fin. de dol. mal. & met. except.* In bonis adventitijs, caſtrenſibus & quaſi caſtrenſibus quin hac exceptione filius uti poſſit, nullus dubitat *argument. d. l. 4. § fin.* Competit autem liberto adverſus patronum *argumentat. l. item ſi cum exceptione 14. §. in hac actione ubi Gloſſ. & Dd. ff. quod met. cauſſ.* Quis juſtus metus dicatur cum Menoch. d. loco prudentis ac diſcreti Iudicis arbitrio relinquimus *l. metus autem cauſſa ff. quib. ex cauſ. major.* Illud in diſquiſitionem hîc venit, utrum negotium metu contractum ſemper ope exceptionis reſcindendum ſit? Et in contractibus ſtricti Iuris ipſo jure valere, & ejus actionem exceptione quod metus cauſſa infringi Dd. uno ore concludunt. De bonæ fidei contractibus res non adeò eſt manifeſta. Nos concludimus, ſi bonæ fidei contractibus metus cauſſam præbuerit, contractus ipſo jure nullos eſſe, nec ulla opus eſſe exceptione: Quod ſi metus in contractum bonæ fidei incidat, exceptione quod metus cauſſa infirmatur actio, quemadmodum ſupra de Exceptione doli mali ſtatuimus, & docet poſt alios *Gædd. de contrah. ſtipul. cap. 3. num. 156. & ſeqq.* Caſus in quibus hæc exceptio non attendatur recenſet *Zanger. part. 3. cap. 13. l. cum quis 10. in verbo ſolverit C. de juris & facti ignorant.* (d) Cùm quis errore lapſus ſtipulanti promiſit *in princip. Inſtitut. de except. l. 57 ff. de obligat. & act. Zangerus part. 3. de Except. cap. 13. numer. 106. Vultejus ad d. pr. Inſtitut. de exception.* Et omninò certum eſt, errorem & ignorantiam tam Iuris, quam facti in re admittenda non nocere, quin potius facere, ut hac oppoſitâ exceptione ad ſolvendum cogi non poſſit reus

exceptio erroris

arg. l. error facti 9. ibi, is autem qui sciens C. ad L. Falcid. l. cum quis 10. in verbo solverit C. de Jur. & fact. ignor. Donell. 16. Commen. cap. 38. (e) Quæ dupliciter consideratur, aut respectu creditoris, aut respectu debitoris. Creditor intra triginta tantummodo dies postquam scripsit, aut fassus est se aliquid ex quâcunque caussâ accepisse exceptionem non numeratæ pecuniæ objicere potest: quâ hoc commodi consequitur, ut deinceps ipsius chirographo non stetur, verum adversario incumbat probare, vera esse, quæ confessio scripta contineat *d. l. 14. §. super cæteris 2. Zinger. p. 3. de Exception. c. 14. n. 3. & seqq.* Post excessum memoratarum 30. dierum creditor non auditur, nedum si onus probandi in se recipere velit, pecuniam sibi reverâ solutam non esse *d. l. 14 § 2.* Debitor verò qui spe futuræ numerationis alicui dedit chirographum, continens confessionem se certam pecuniæ quantitatem à quasi creditore mutuò accepisse, quam tamen reverâ non accepit *l. adversus C. de non numer. pecun. per tot. tit. Inst. de liter oblig.* intra biennium (non ut olim intra quinquennium) à die instrumenti contecti exceptionem hanc opponere potest *d. l. 14. in pr.* Quâ etiam tum intra biennium à die chirographi auditur, si hodie chirographo confiteatur, se ante annum certam quantitatem mutuò accepisse *l. 1 & tot. tit. C. plus valere quod agitur &c. Gomez d. c. 6. n. 1. Fachin. 2. Controv. 82.* Imò ne ei quidem deneganda est, qui testibus præsentibus confessus est, se accepisse pecuniam *Fachin. 2. Controvers. 84.* Quid & inter mercatores obtinet *Strab. Tract. de Mercator. tit. Quomodo in causs. mercator. proced. num. 9. Fachineus 2. Controvers. 85.* (f) De qua *in titul. C. de tot. caut. non numer. Novel. 100.* & latius illam illustrant *Menoch. 3. præsumt. 12. cum seqq.*

Excepho non numeratæ pecuniæ.

Covar-

Covarruv. lib. 1. resol. c. 7. n. 4. cum seqq. Fachin. 8. controv. 86. cum seq. (g) Cui causam dedit improbus fœnerator Macedo, qui flagitiosè adolescentibus filijsfamilias ad quemvis luxum pecuniam credebat, sic, ut tandem ære alieno obruti in quodvis flagitium ruerent, & vitæ parentum inhiarent, quo æs alienum, quibus obstricti erant, exsolverent. §. *illud 7. Instit. quod cum eo, qui in alien. potest. l. 1. §. 1. l. 7. § 3. l. 9. in pr. l. 11. ff. ad SCtum Macedon. l. 40. ff. de condict. indeb.* quæ non solum filiisfamilias; sed etiam liberis & parentibus eorum competit. *d. §. illud 7. Inst. d. t. d. l. 7. §. quanquam. 10. ff. de SCto Macedon. l. si filius 6. C. eod.* Quoniam autem SCtum de solis nummis loquitur, exceptio illa contra alias res fungibiles filiofamilias mutuò concedentes minimè datur, nisi forte in SCti fraudem quid attentetur. *l. si quis 3. §. is autem 3. ff. de SCto Maced.* Sicut nec ad ea, quæ studiorum causa filiusfamilias mutuatus est *arg. l. quæ pater 52. ff. famil. ercisc. & l. 5. C. ad SCtum Macedon.* Aut in quæ pater consensit, extenditur *d. l. 5. circa fin. d. l. item 7. §. interdum. ff. eod.* Utrum verò huic exceptioni filiusfamilias renunciare possit, sententia non est una? Et non posse cum communi Dd. Scholâ statuimus: Quæ renunciatio non subsistit, etiam si juramentum de solvendo accesserit *arg. l. fin. C. de non num. pecun. c. non est obligatorium de R. I. in 6.* Quamvis de ea in foro conscientiæ aliud dicendum videatur *Levit. 19. Matth. 5.* (h) Quâ mulier neque pro patre *l. 8. C. de SCto. Velleian.* Neque pro filio *l. 3. C. eod.* nec pro marito *Auth. si qua mulier C. d. tit. Novell. 134. c. 8.* & ea propter multo minus pro alijs intercedens, efficaciter obligatur *l. 1. in pr. l. 2. §. 1. ff. de SCto Velleian. Gomez. tom. 2. resolut. c. 13. n. 16. Gædd. de contrah. stipul. c. 7. n. 289.* quod non tantum ad fidejussionem

 & mu-

& mutui dationem restringitur, sed ad omnes omnino contractuum species, quibus nos nostræq; res obligamur, extendi debet, *d. l. 2. §. omnis ff. d. tit.* quod tamen perpetuum non est: referuntur enim non tantum ab Accursio. *in l. 1. in pr. verb. ne pro ullo ff. ad SC. Velleian.* octo, sed etiam decem casus *à gloss. in l. fin. verb. cessante C. eod. Sichard. ad rubr. n. 123. & seqq. C. d. t.* quibus mulieri post intercessionem exceptio denegatur. Nos mulierem exceptione SCti Vellejani destitui vel qualitate causæ, vel facti proprij intuitu deprehendimus. Qualitate causæ. 1. Si mulier pro pretio, quod servus domino pro libertate pactus est *l. 4. de manumiss.* intercesserit *l. pen. ubi Sichard. ad rubr. n. 11. & seq. in fin. C. ad SC. Vellei.* 2. Si mulier majorennis in promissione dotis intercedat. *l. si dotare 12. l. fin. C. d. t.* idq; ad omnes alias pias causas extendunt *Gomez. ad l. 36. Tauri n. 2. Ioh. Sichard. ad rubr. n. 12. & seq. C. ad SC. Velleian.* Ratione facti proprij mulier exceptione SCti Velleiani destituitur 1. si in sua intercessione callidè sit versata *l. 2. § sed ita 3. ff. ad SC. Vellei. l. 30. in pr. eod.* suum fortè mentita negocium, cum reverâ esset alienum. *l. 4. circa pr. per l. 11. l. 23 l. 27. in pr. ff. d. t.* aut permittens res suas pro alienis obligari ab alio inscio creditore. *l. 28. §. 1. ff. d. t. l. 5. §. 1 l. 7. C. eod.* An autem mulieri contra replicationem doli & calliditatis prosit duplica, si videlicet dicat, creditorem muliebris simulationis non fuisse ignarum, elegans inter ICtos exorta est disputatio. Nos sanè affirmativam sententiam ut veriorem probari *l. 4. in pr. l. 12. l. 17. in pr. l. 19. §. fin. l. 27. in pr. l. 28 § fundum, 1. ff. ad SCtum Vellei.* arbitramur. 2. Mulieri facti proprij intuitu SCti exceptio denegatur, si á principali debitore solutionem jam consecuta sit. *l. si mulier 16. in pr. ff. d. t.* 3. Si mulier principali debitori successit. *l. 8. §. planè 13. ff. d. t. l. 14.*

l. 14. C. eod. 4. Si ut intercederet à principali debitore quid ab initio vel posteà acceperit *l. 23 in pr. C. d. t.* 5. Si maiorennis post biennium intercessionem nova cautione firmaverit. *l. si mulier 22. C. ad SC. Velleian.* 6. Si mater vel avia tutelam liberorum etiam ante agnatos susceptura SCto renunciaverit. *Auth matri & aviæ C. quando mulier tut. offic. fung poss.* An autem in hisce terris mater & avia ad ullam tutelæ speciem admitti debeant non incommodè hic quæritur? Quod omninò negandum putamus *arg. d. Const. Elector. 15. p. 2.* Denique mulieri SCti exceptio denegatur, si post biennium SCto Vellei. renunciaverit. *d. l. si mulier. 22. C. de SCto. Vellei.* Aliter ergò renunciatio facta jure civili nullatenus subsistit, etiamsi mulier non nuda pactione, sed stipulatione vel jureiurando intra biennium renunciaverit. *Gomez. tom. 2. resol. 13. n. 17. VVesemb. in para. ad SC. Velleian. n. 7. Donell. lib. 12. commentar. c. 32. fol. 128.* à quo divertit jus Pontificium, quod renunciationem sine distinctione temporis juratam, omnino habet ratam, *c. ex rescripto, 9 c. cum contingat de jurejur. c quamvis de pact. in 6. Moller. ad d. Const. Elector. num. 5. Sichard. ad Rubr. n. 7. C. de SCto Velleian. Fachin. lib. 2. controv. c. 60 p. 2. Geil. 2. obs. 41. n 9.* Cui consenrit non tantum jus Saxonic. sed etiam insuper addidit, ut sive intercessiones ac renunciationes mulierum jure civili validæ sint, sive minus, juratæ nihilominus in iudicio præsente curatore etiam à maiorennibus virginibus ac viduis, aliisque fieri deberent. *Constit. Elector. 16. p. 2.* Quâ renunciatione ritè facta in hisce terris mulieres, ne quidem ex capite enormissimæ læsionis restituuntur. *Const. Elect. 35. p. 2. Moller. ad Const. Elect. 16. p 2. n. 6. & 1. semestr. 43. n. 6 & c. 39. lib. 3.*

4
5
6.

Post

Post negotium gestum superveniunt exceptio pacti conventi de non petendo in perpetuum (a) jurisjurandi (b) rei judicatæ (c) transactionis (d) rei venditæ (e) quibus & divisionis (f) exceptionem subjungimus.

a) §. 3. & §. 9. *de excepti. l. 3. ff. eod. l. 5. C. de pact. l. 7. §. 1. l. 17. §. 2. l. 40 ff. eod.* Nam si paciscitur quis cum Titio creditore, ne omninò à se pecunia peteretur, is nihilominus ipso jure obligatus manet: pacto enim convento obligationes non omnino dissolvuntur *d. §. præterea, 3. Inst. h. t.* Et cùm pacta tantum producant exceptionem non etiã actionem, ideo nec actionem seu civilẽ obligationem tollunt. *l. 7. §. igitur nuda ff. de pact.* Præcedens igitur obligatio civilis ex contractu super quo pactum hoc fuit interpositum ipso jure manet valida & subsistit, si intendit actor, eum, qui pactus est, dare oportere: Quia tamen iniquum esset, pacta non servari, *l. 1 in pr. ff. de pact.* Ergo actio ipso jure valida in totum per exceptionem pacti perpetui potest elidi *Zanger. d. p. 3. c. 13.* Quæ exceptio quemadmodum semper competit, quoties quis alteri quid dare, facere obligatus est, sive ex conventione, sive ex delicto; Ita etiam in ijs obligationibus, qui solo consensu contrahuntur maximè obtinet *l. 27. §. 2. & ibi Ant. Faber. in Ration. de pact.* Causa autem ut subsit & exprimatur in hoc pacto liberatorio, necessum non est. *arg. l. 55. § 2. de condict. indeb. l. 40. ff. de pact. Zang. d. p. 3. c. 15. n. 20.* Unde si tali pacto remissâ sit summa 500. aureos excedens, etsi donationis expressè non sit facta mentio, insinuationem requiri verius existimamus cum *Dn. Zang. d. lo. n. 10.* (b) Quâ reus contendit, deferente actore, juramentum se præstitisse, rem actoris non esse, aut ei non deberi, atque ita jurejurando

contro-

controversiam finitam esse §.4. *Instit. de Except. l.1.2.3.l. 9 § 1. 11. l.28. §.ult. l.29. l. fin. in pr. ff. de jurejur. l.9. C. de reb. credit. c. pervenit c. ex rescripto eod. tit.* Datur hæc exceptio tantũ ex juramento voluntario & judiciali, non etiam necessario *Zanger. d. p.3. c.16. de Exception.* & ejus est importantiæ & efficaciæ, ut si in principio litis opponatur à reo, impediat litis ingressum, & facit, ne quis teneatur litem contestari, aut processum suscipere: Neq; enim hic aliud quæritur, quàm an juratum sit, non æq; an verè an falsò *l.1.§.2. d. l.9.§.1. d. l 28.§ fin. de jurejur.* Hinc etiam dicitur litis finitæ ut constat *ex Clem. 1. de lit. contest.* Porrò quod diximus reo post juramentum præstitum competere exceptionem, idem obtinet quando reo ab actore remissum est jusjurandum *l 8. C. de reb. credit. & jurejur.* Remissio enim habetur pro præstatione *d. l. 5. §. 2 ff. de jurejurand.* (c) Quâ reus controversiam illam, de quâ nunc de novo judiciũ instituitur, jam ante judicatam, & sententiâ Iudicis definitivâ determinatam ac decisam esse, ostendit §.5. *Inst. de Exception. l.1. & 6. & tot. tit. ff. de except. rei judic. c.1. de lit. contest.* Quæ justissima est, ne actum agatur & litium aliquis sit finis *l.1. C. de rejud. l.1. C. uti possid.* Cui, ut locus sit, tria cumulativè requiruntur *l.2. ff. de except. rei judicat.* 1. Ut eadem res, non alia, posteriori judicio *l.5. l.21. l.23. d. tit.* 2. Inter easdem personas *l.3. l. an eadem 14. in pr. & §.2. l. 16. eod. tit. tot. tit. C. quibus res jud. non nocet.* 3. Ex eâdem causâ petatur *d. l. 5. d. l.7. §. 4. l. 11. §. 4. ff. de except. rei jud. Menoch. de arbitr. judic. libr. 2. Cent. 5. cap. 439. num. 1. & seqq. Gail. lib 1. Observ. 70. num. 16. Zanger. d. Tract. part 3. cap. 17.* (d) Quâ reus controversiam illam, quæ in judicium deducitur, non lite *l. 9. §. 1. de transactionib.* Sed transactione sopitam ac finitam esse ostendit *d. l. 9. l. 10. l. 12. l. 18. l. 20. & 28. C. de transactionib.* Ubi iterum notandum, utrum

transactio pacto, an acceptilatione facta sit. Si acceptilatione, placuit reum ipso jure liberari, nec ullâ opus habet exceptione *l. 2. l. 15. C. de transaction. §. item per Institut. Quib. mod. tollit. obligat.* Quod si pacto facta est, dicendum obligationem transactione non expirâsse, adeoque exceptione opus esse *Zanger. d. Tract. part. 3. cap. 18. num. 1.* Quemadmodum itaque exceptio rei judicatæ *l. 6. l. 7. ff. de Except. rei judic. cap 1. de litis contestat. in 6.* Ita & transactionis litis ingressum impedit & actorem à limine judicij repellit, adeoque exceptio litis finitæ dicitur *argument. l. ult. ff. pro socio.* Hinc ad exemplum sententiæ, quæ in rem judicatam transivit, non retractatur transactio obtentu instrumentorum postea repertorum *l. 32. l. 35. & seqq. ff. de re judic. l. 10. l. 13. l. 19. l. 20. C. de transaction. Donell. ad l. 19. num. 5. C. eod. tit. Zanger. d. lo. num. 2.* Ut autem locum habeat hæc exceptio itidem tria conjunctim exiguntur. 1. Ut eadem res petatur *argument. l. 12. cum seqq. l. 18. ff. de Except. rei judic.* 2. Ex eâdem causâ *l. 3. l. 5. l. 11. § eandem 4. l. 14. in pr. ff. de exception. rei judic.* 3. Ut res agatur inter easdem personas, inter quas transactum est *l. 2. C. inter alios acta & jud. &c.* (e) *1. & 101. tit. ff. de except. rei vendit.* quæ & litis finitæ dicitur *l. 6. C. de fide instrum. & jur. hast. lib. 10. VVesemb. in parat. de exception. rei vendit. num. 2.* (f) Quæ competit pluribus confidejussoribus. Quanquam enim unusquisq; fidejussorum tenetur in solidum *l. 3. C. de fidejussorib.* tamen ex Epistolâ Divi Hadriani habent beneficium hoc, ut si unus in solidum conveniatur possit ille creditori objicere exceptionem Divisionis ac petere, ut obligatio inter eos dividatur, & quilibet pro parte tantum conveniatur *l. 10. §. 1. C. de fidejussorib.* Si modo reliqui tempore litis contestatæ solvendo sint *§. si plures l. 3. C. de fidejussor.*

jussor. Illud in quæstione est, si unus ex confidejussoribus conventus, totum debitum solvat, An id, quod ultra suam portionem solvit, possit repetere à creditore? Et talem repetitionem non habere hactenus obtinuit *Franc. d. c. 5. n. 444. & Gædd. d. lo. n. 81.*

XV.

Forma excipiendi in eo consistit, quod omnis exceptio sit contestanda & opponenda *a*, & quidem dilatoriæ & temporales regulariter ante ingressum & contestationem litis *b*. Peremtoriæ verò post illam; ante tamen sententiam, quæ nondum in rem judicatam transijt *c*. Imò nonnullæ post latam sententiam ipsi executioni opponi possunt *d*.

(a) Nec debebit sane Iudex exceptionum non oppositarum, ut maximè ex actis notoriæ sint, rationem habere, ut secundum illas pronunciet, *l. 6. §. veritas ff. de offic. præsid. c. examinata ubi Cc. ext. de judic. l. unic. ubi castrens. C. ut quæ desunt advocat. &c.* Quod si de talibus exceptionibus ex actis notoriè constet, quæ actionem ipso jure extinguunt, tollunt, & enecant, etiamsi non oppositæ fuerint, tamen judex ex officio eas supplere debet *l. un. C. ut quæ desunt advocat. &c. Zanger. d. Tract. p. 3. c. ult. n. 15.* Quemadmodum de exceptione præscriptionis nominatim constituit Elector Augustus *Constit. 25. part. 1.* (b) *l. exceptionem 19. C. de probat. l. pen. & ult. C. de Except. cap. monasterium 20. ext. de Except. Constitut. Elector. 3. part. 1.* Nisi fortè tales sint exceptiones, quæ de novo exortæ sint *cap. insinuante ext. de offic. judic. deleg. c. pastoralis & ibi Coler. ext. de Exception.* Vel si antea quidem natæ fuerunt, verũ post litis contestationem demum ad excipientis

notitiam pervenerint, & is juramento hoc obtineat *Ordinat. Cam. part. 3. tit. 24. Coler. ad d. c. pastoralis n. 9. Moller ad d. Const. Elector. 3. n. 11. Et aliæ plures, de quibus Zanger. d. p. 2. cap. 22. n. 6. & seqq. ubi n. 12.* tradit, generaliter, quod dilatoriæ, quæ intentionis, & rei petitæ sunt & ita ad merita caussæ pertineant, sive quæ continuum gravamen continent, aut judicium reddunt retrò nullum etiam post litis contestationem opponi queant *l. 23. §. 3 ff. de condict. indebiti d. cap. pastoralis l. 24. ibiq; Sicharius C. de procuratorib. Gail. libr. 1. Observ. 52. Zanger. d. lo.* Sed gravis hîc occurrit Quæstio, An dilatoriæ exceptiones, sicut ante litis contestationem opponendæ; ita etiam sint ante litis contestationem probandæ? Negatur *in d. l. 19. C. de probat.* Affirmatur *in §. appellantur Instit. de Except. l. pen. ff. & l. fin. C. eod. Donell. ad d. l. 19. C. de probat. & libr. 2. Comment. cap. 9.* existimat *d. l. 19.* mendosam esse, & pro dilatoriam legendum esse, peremtoriam; Quæ correctio præterquam quod est contra omnium exemplarium fidem textui quoque non convenit: sequeretur enim quod peremtoriæ exceptiones ante judicium necessariò essent opponendæ; Cum tamen in initio licitè omitti possit, & posteâ allegari & opponi *d. l. 2. C. sentent. rescind. non poss. & dicetur posteà latius.* Verùm quemadmodum dictum est, quod dilatoriæ exceptiones sæpe etiã admittantur post litis contestationẽ, ita existimamus posteriorem partẽ *d. l. 19. C. de probat.* nõ universaliter intelligendam esse de omnibus dilatorijs, sed tantũ de ijs, quæ altiorem indaginem requirunt, aut merita caussæ respiciunt. (c) *l. 4. l. 8. l. 9. C. de Except. l. 2. C. sentent. rescind. non poss.* Et si quædam statim ante litis contestationem ad impediendũ litis ingressum opponi possint, ut sunt exceptio rei judicatæ, transactionis, juris jurandi, non competentis actionis,

præven-

ventionis, continentiæ causæ, & præscriptionis notoriæ *c. 1. de lit. contest. in 6. l. 3 §. 13 ff. ad exhibend. l. 2. ff. de jure-jurand. l. 23. §. 3 ff. de condict. indeb. l. 9. C. de præscript. long. temp.* quæ si in continenti probentur vel notoriæ sint, absolutionem pariunt ab instantia & observatione judicij, unde exceptiones litis finitæ dicuntur. *Sichard. ad d. l. 19. C. de probat.* Ubi verò in continenti probari nequeunt, necessum est, ut rejiciat eas judex post litem contestatam examinandas. *Menoch. lib. 1. arbitr. jud. q. 19. Daniel. Moller. lib. 1. semestr. c. 1. per tot.* Et hæ exceptiones post litis contestationem de jure civili intra spatium trium mensium. *l. 1. & de Dilat.* De jure autem Saxonico sex septimanarum & trium dierum probantur Landrecht *art. 29. & 62. lib. 2.* Qui tamen pro ratione loci & circumstantiarum etiam longior dari potest Landtrecht *lib. 1. art. 72.* Als gedoppelte Sächsische frist. An autem in executione sententiæ vel instrumenti, quod paratam habet executionem, uti in hoc Electoratu sub tit. versatzte Brieff vnd Siegel constitutum legimus, exceptiones dilatoriæ vel peremtoriæ opponi possint, vide *Matth. Coler. de processu execut. p. 4 c. 1. n. 1. & mult. seqq. Zanger. d. tract. p. 3. cap. ult.* (d) Quales sunt exceptio Legitimationis personarum, item exceptio incomperentiæ, exceptiones nullitatum, Solutionis, Novationis, delegationis, liberationis, acceptilationis, falsitatis, præscriptionis, exceptio pretij non soluti, aut mercis non traditæ, & si quæ similes sunt, de quibus longâ serie *Coler. de tract. de processu execut. p. 4. c. 1. n. 48. & mult. seq. Zanger. d. p. 3. c. ult.* Imo omnes illæ, quæ post sententiam natæ sunt, in ipsâ executione opponi possunt. Cæterum ut hæ exceptiones impediant executionem requiritur, 1. ut non indigeant altiori indagine. 2. Ut in continenti probentur. *Zang. d. lo.*

XVI.

Proprium exceptionum est, quod numero plures (a) modò non ex adversò sint contrariæ (b) opponi possint, ne tamen uno & eodem tempore omnes simul tractentur, sed quoad jus civile successivè (c) de Iure verò Canonico omnes simul proponendas certum tempus determinare ac præfigere solet (d) Quod supremum Imperij Iudicium (e) & Electoralis Constitutio sequitur (f.)

a) *l.5.& 8.ff.de except. c.nullus de R.I. in 6.* Latius quippe excipiendi, quam agendi facultas se extendit. *c. dilecti de except.* (b) *arg.l.42.ff.de R.I. l.2. vers. sed si alius ff. quand. appell. c. imputari de fide instrum. Menoch. lib.2. præsumt.42.* nisi alternativè proponatur *Zang. d.p.3. c. ult.* (c) *l.8.& seq. C. de except. Sichard. ad l.19. C. de probat. mult.* (d) *c. pastoralis de except.* (e) *Ordinat. Cam. Imper. p.3. tit.13. §. fin. & tit. 24. §.* vnd sollen rc. (e) Landtrecht *lib.1. art.2.29.& 62. Constit. Elector. 3.p.1.*

XVII.

Finis exceptionum est Actionis, sive judicij ad tempus, vel in totum exclusio (a) Contrariæ earum replicatio (b.)

a) *l.2. §.2. l.3. & passim ff. de except.* (b) Nam quemadmodum per exceptionem eliditur actio, ita quoq; replicatio impedit exceptionem. *pr. Instit. de replicat. d. l.2. §.1. de except.* Quemadmodum autem exceptio primâ facie justa visa excludi potest per replicationē, ita evenire potest, ut replicatio, quæ prima facie justa est, excludatur per duplicationem *l.3. ff. de compensat.* Quod si primâ facie etiam justa videatur duplicatio, Actor triplicando potest uti alijs exceptionibus, quibus excludat intentionem duplicantis §. *etsi rursus Inst. de replicat. l. fin. C. de compensat.* Atq; ita deinceps, quantum expedit *vers. quarum Inst. de Replicat. d. l.2. in fin. ibi deinceps multiplicantur &c. ff. de except.*

cept. In Camera in dilatorijs ultra duplicationem, In peremtoriis ultra triplicationem non proceditur. *Ordinat. Camer. Imper. d. p. 3. tit.* 26. §. Wann aber *& tit.* 29. *in fin.* Quem tamen modum non ita precisè obſervari, ſed judicem nonnunquam pro negotij qualitate & quantitate productorum multitudinem extendere tradit. *Coler. ad Rubr. tit. de except. n. 8. in fin.* In his terris litigatores tam ante litis cõteſtationem, quam in eâ, & poſt eam vivâ voce proponunt, mutuisq; dictandi vicibus ternis repetitis judicis cognitioni ſe ſubmittunt *part. 1. Conſtit. Elect. 1. & 9.* Quod ſi ante, quam delatum vel relatum juramentum ab eo, cui id per ſententiam impoſitum eſt, præſtetur, vel ante probationes utrinque deductas ejuſmodi diſputationes incidant, quæ vel exceptiones peremtorias, vel exhibita, aut producta literaria documenta, vel confeſſiones factas in actis, & ſic merita cauſarum concernant, tunc permittere jubetur judex litigatoribus petentibus, ut jus ſuum alternis duobus ſcriptis, ex intervallo quatuor ſeptimanarum deducant. *d. Conſtit. Elect. 9. p. 1. & ibi Moller.* Publicatis verò probationibus, à tempore acceptæ copiæ (quæ ad ſummum intra duos menſes à judice partibus dari vult Elector) Excipiendo, replicando, duplicando, & triplicando. Et ſic alternis duabus vicibus, nec pluribus, interiecto ſpatio ſex ſeptimanarum jus ſuum ſuper probationibus in ſcriptis, deducentes judicisq; definitivæ ſententiæ ſe ſubmittentes, concludunt. *Conſtit. Elect. 18. p. 1.*

F I N I S

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-595929-p0034-3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-595929-p0035-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-595929-p0036-4



redēptionis
defensionis
protectionis
infertionis
dignationis
salutationis

Dig

nitatis virginitas et

fuit in virga aaron que sicut flo

uit et flores et fructus produxit sicut dr̄ mu

Theses Juridicæ,

De

EXCEPTIONI-BUS,

Quas

Auſpicijs S. S. & Individuæ Trinitatis

In celeberrimâ ad Albim Academiâ

PRÆSIDE

TIBURTIO RUHELIO

J. U. D. Curiæ Electoralis Advocato,

& Senatus Oppidani ibidem Aſſeſſore,

Publicæ diſquiſitioni ſub-

jicit.

GOTTFRIDUS HEMPELUS

Freibergenſis Alumn. Elect.

In Auditorio Ictorum, Ad diem 15. Ianuarij.

23. Februar

VVITEBERGÆ

Ex Officina Laurentij Seuberlichs.

ANNO M. DC. XIII.

31.